

342
27

EPISTOLA
FACULTATIS
THEOLOGICÆ IN ACADEMIA
Rostochiensi ad Theologos VVitteber-
genses, 4. Julij Anno 1595. scripta, de
ELECTIONE seu PRAEDESTI-
NATIONE hominum ad
vitam æternam.

Nunc verò ad retundendam

D. SAMVELIS HUBERI de
consensu Rostochiensi jactan-
tiam, publicata
per

*Theologicam Facultatem in Academia
VVittebergensi,*

Cum præmissa ejusdem Præfatione.



VVITTEBERGAE,
Typis M. Georgij Mulleri.
cl. l. xcv.

EPISTOLA
FACULTATIS
THEOLOGICAE IN ACADEMIA
VITTEBERGENSI
LECTIO I. PER P. A. HERRMANNIUM
M. A. T. I. O. N. E. H. O. M. I. N. I. U. M. A. D.
C. O. M. M. U. N. I. T. A. T. E. M.

Nunc Acto ad retinendum
D. SAMVELIS HERRMANNI de
consecrata Rostochiensis iugum
tam publica
per
Theologiam Facultatem in Academia
Vittebergensi.
Cum primis ejusdem Praesione.




VITTEBERGAE
Typis M. Georgij. Schellerni.
cl. b. z. c.



343

DECANVS, SENIOR
ET DOCTORES FACVL-
TATIS THEOLOGICÆ IN ACA-
demia Wittebergenſi, Pio Lectori
S. P. D.

 *M*ninò ſpera veramus, optime Lector, D. Samue-
lem Huberum, poſt acceptum illud noſtrum, ad
confeſſionem ſuam Germanicam, Vrſellanis ty-
pis ante paucos meſes divulgatam, reſponſum
placidum & amicum, in nos calanum ſuum poſthac minimè
directurum, neq. de jaçtato Rostochienſium Theologorū con-
ſenſu quicquam amplius prædicaturum; præſertim cum
ignotum illi eſſe non poſſit, qua ratione Reverendi & clariſſi-
mi viri, D. Doctores & Profefſores Theologiæ in Acade-
mia Rostochienſi, fratres noſtri in Chriſto chariſſimi, de pio
ſuo & Orthodoxo cum noſtra doctrina conſenſu ad nos lite-
ras dederint, & jaçtantiam Huberi de illorum cum ſua opi-
nionè conſenſu jam pridem vanam eſſe edocuerint, quin imò
datis ad ipſum literis graviter eum hortati ſint, ne gloriare-
tur aut ſpargeret apud alios, Rostochienſes ſententiã ejus
probaffe, cum potius ipſe ad illorum ſententiã acceſſerit. Neq.
enim ſe ſcripta ejus, Confeſſiones, theſes, & his ſimilia ſibi &
alijs exhibita, habere p. authenticis vel approbatis, eũ multa in
eis deſideraverint: quare nec ipſe ſimpliciter & pertinaciter
ea tueretur, ſed monitis ſuis, ut & aliorum piorum obtempe-
raret, & in ſimplici ac communi ſententiã libri Concordiæ ac-
quieſceret, nec quicquam amplius certaminis moveret &c.
Verum

Verum oblatis nobis sunt duo ejusdem auctoris libelli hisce ann-
dinis publicati, quorum alter latinus, titulum brevis confuta-
tionis habet, alter germanicus est, cum hac inscriptione: Sur-
ke erinnerung von gegenwertigem Zwietracht ober
der Lehre von der Gnadenswahl. *Iis libellis multa in-
sunt, de quibus univ[er]sa Christi Ecclesia rectius informanda
est. Verū angustia temporis non sinit nos ad illa singula, nunc
quidem, prolixè respondere.*

Respondebimus, Deo juvante, propediem, & ita respon-
debimus, ut omnes veræ Lutheranæ, hoc est, Christianæ do-
ctrinæ amantes sentiant, non nos, sed D. Huberum funesti
istius dissidij autorem esse, & à nobis nihil non factum et ten-
tatum fuisse, quod ad piam & constantem in veritate cœlesti
concordiam alendam, adeoq; ad turbatam ipsius importunita-
te pacem postliminio reducendam firmandamq; pertineret:
neq; nobis illa portentosa opinionū, quæ D. Huberus falsissimis
allegationibus scriptorum nostrorum, inanissimis, quas ne dicit,
consequentis, & ut uno verbo dicamus, notorijs calumnijs
contra mentis et conscientie suæ testimonium nobis affingit,
unquam animos nostros subijisse. Hac autem vice retundenda
est jaçantia ejus, qua contra illius ipsius Scripti Rostochi-
ensium Theologorum, quod D. Huberus formulam consensu
nominat, expressam literam, contraq; disertam illorum prote-
stationem, & sole illustriorem declarationem, necdum erube-
scere didicit Huberus, quin omnibus his altissimè dissimula-
tis, in scripto latino pariter & Germanico gloriatur, inter se
& Rostochiensis Academia Theologos constitutū esse in do-
ctrina de Electione consensum. Qua de gloriatione ut quid
statuero

344

statuendum sit, uniuersis atq; singulis constare queat: nos Epistolam Reuerenda Facultatis Theologicæ in Academia Rostochiensi, fratrum nostrorum in Christo, ad nos mense Iulio proximo perscriptam, Collegij Signo munitam præmittere, bonaq; fide publici juris, (quod ipsis autoribus non aduersum fore intelleximus,) facere volumus, ut vel ex hoc unico pius lector deprehendat, quantū fidei D. Huberi narrationes, de reliquis controversiæ capitibus mereantur. Hinc enim luce meridiana clarius apparet, quod à D. Theologis Rostochiensibus Huberus obtinere nunquam potuerit, ut media illa pacificationis, quæ nunc in publicū emisit, Formula consensus inter se & ipsos initi appellaretur, nedum ut improprias D. Huberi de Electione omnium sine discrimine hominum, tam non credentium, quam credentium, locutiones & sententias approbarent. Quemadmodum etiam palam vanum est, quod in libellis recens editis de Ecclesiarum in inferiori Saxonia consensu scriptitat. Secus enim rem habere, literis huc scriptis præcipui in ijs Ecclesijs Doctores & ministri luculentissimè testati sunt. Nunc interim (dum refutationem libellorum Huberianorum expediamus,) hanc, quam diximus, Rostochiensium Theologorum Epistolam, benevole Lector, accipe, & ex tam claris & evidentibus notis, quid aduersario nostro fidendum sit, tecum indubitato statue. Optime vale. Datum Wittebergæ 25. Sept. Anno 1595.

Sequitur Epistola Facultatis Theologicæ
Rostochiensis.

REVERENDIS ET CLARISSIMIS
Viris, pietate, doctrina & dignitate præstantissimis, Dn. De-
cano, Seniori & cæteris doctõibus ac Professoribus Theolo-
gicæ Facultatis in inclita Academia Vuitebergensi, Do-
minis & amicis suis plurimum hono-
randis.

Gratiam & pacem à Deo per Christum. Reve-
rendi & Clarissimi viri, Domini & fratres in
Christo honorandi, Literas vestras XII. Junij
datas, à tabellario nostro XXI. eiusdem accepimus.

Cumq; videamus, præter priorem illam sententiæ nostræ de-
clarationem paulò pluribus verbis expositam, expetere vos de
ipso controversiæ Huberianæ statu expressam, disertam & affir-
mativam sententiam ac iudicium nostrum, non gravatim in ea
quoq; petitione vobis pro conjunctione nostra, & ad amovendam
omnem suspicionem de nobis conceptam, morem gerere volui-
mus. Statum hunc unicum & verum esse scribitis: Num Deus o-
mnes indiscriminatim homines (sive credant sive non credant)
elegerit & prædestinavit ad vitam æternam, electione & prædesti-
natione propriè sic dicta? Et: An non potius electio ad salutem
sic describatur in scriptura sacra, ut ad solos credentes referenda
sit? Hic planè & catagoricè idem respondemus, quod in censura
nostra ipsi D. Hubero respondimus: Nullo modo in Ecclesia do-
cendum esse, quod omnes homines, ratione vniuersalis electionis & vo-
luntatis Dei antecedentis, sine discrimine aut consideratione vllius respe-
ctus, siue in Ecclesia sint, siue extra Ecclesiam, siue credant in Christum siue
non credant, recensendi sint inter Electos Dei, sanctificatos, justificatos &
ordinatos ad vitam æternam. Neq; enim hæc est voluntas Dei, nobis
in scripturis patefacta, quod extra Christum & fidem eius quem-
quam hominum justificare & salvare velit. Quare si hic propriè &
vnicè statum est controversiæ vestræ cum Hubero: perspicue & di-
sertè, nihil dissimulantes affirmamus, hanc assertionem: Omnes
NB. indiscriminatim homines siue credant siue non credant, electos, prædesti-
natos & ordinatos esse à Deo ad vitam æternam, non modo in propri-
am, sed planè aduerinam & falsam esse. Atq; si id sentit Huberus
salvi.

345
salvificam prædestinationem, uti scribitis, etiam ad Epicureos & manifestos hostes Christi & Ecclesiæ (maximè si poenitentiam non egerint) referendam esse, nemo pius hanc sententiam comprobare poterit. *Voluntas quidem Dei misericors & ardens amore generis humani, hæc est, ut omnes homines in Christo eligantur, justificentur & salventur, idq; per fidem Christi. Sed quia non omnes credunt, non etiam omnes sine discrimine pro electis habet Deus, quibus justiciam & vitam æternam in Christo donet, quos tamen omnes voluisset eligi & salvari, si credidissent.* Aliquoties diximus D. Hubero, atq; idem in postremo etiã colloquio, cum nobis valediceret, repetivimus, propriam & integram electionis definitionem juxta scripturam sacram & librum Concordiæ non tantum misericordem Dei voluntatem aut meritum Christi, & promissiones Evangelij universales, sed etiam veram & perseverantem fidem in hanc Dei misericordiam, & Christum mediatorem ac redemptorem totius generis humani, complecti, quia Christus nobis absq; fide ociosus est, omnesq; promissiones Evangelij expressè fidem requirunt. Et hanc nostram fuisse & esse sententiam, ex responso D. Hubero dato, & sigillo ac subscriptione nostra confirmato, dilucidè apparere omnibus candidè judicantibus, non dubitamus, cum illa disertè conjungi velimus in Electione seu prædestinatione hominum ad vitam, quæ scriptura conjungit, & perpetua connexionem vult esse copulata, ut simul in considerationem de tanto mysterio veniant, & Ecclesiæ Dei tradantur, quemadmodum idem in lib. Concordiæ accuratè sit observatum. In qua etiam sententia, Deo nos juvante & regente, persistemus deinceps, nec à vobis eam improbari omnino confidimus.

Cæterum ad pagellam D. Huberi & media pacificationis ab ipso scripta, & à nobis in nonnullis mutata quod attinet, ita hæc **NA.** acceptavimus & scripto nostro adjunximus, ut idem eorundem sensus esset, qui censuræ nostræ præcedentis. Eam enim cum profiteretur Huberus, se sincero corde amplecti, nec diversam, quæ in altero extremo recitata est, sententiam approbare aut tueri velle, ac præcipuè contra Calvinianos, universalitatem ex universalibus Evangelij promissionibus de clementissima voluntate, φιλοφρονία, dilectione & gratia Dei in Christo erga totum genus humanum & universali merito Christi, urgeret, fatemur nos in simplicitate ea acquievisse, nec adeo scrupulosè articulos illos examinasse. Voluit quidem ipse titulum hunc præfigi, ut formula con-
sentire

NE. fensionis inter nos & ipsum diceretur. Verum id minimè obtinuit,
sed in genere dici placuit, media hæc esse, quibus controversia di-
rimi posse videatur, ne vel vobis vel cuiquam alteri præjudicare-
mus. Quare nec testimonium nostrum ulterius accipiendum erit,
quàm quòd de voluntate Huberi ad piam pacem & Concordiam
vobiscum instaurandam directa, ac nobis multoties significata &
promissa (quemadmodum id ipsum tanta allevatione responso
nostro inseruimus) testare volumus. Pacis bono studio fecimus
quicquid fecimus, quod Deus novit. Si alia mente fuit Huberus,
nostraq; illa facilitate minus candidè uti voluit, relinquemus eum
Dei iudicio, *et nos vobiscum in Domino & veritate verbi eius conjuncti
manebimus.*

Postremò illud ex priori Epistola, quod vos maximè exhi-
larasse scribitis, de phrasi universalis electionis, repetimus: Quod
si Dei voluntatem in Christo, omnium hominum salutem serio
expetentem, prædestinationem universalem nominare non libet,
modò res necessariæ & doctrinæ salutariæ ac consolationis plena
retineatur, de vocabulis non magnopere litigare convenit. Re
enim intellecta, in verborum usu faciles esse debemus. Cumque de
re ipsa in toto hoc doctrinæ electionis capite pium inter nos con-
sensum esse non dubitemus, *phrasin universalis electionis utriusque reti-
neamus, in eo sensu & respectu, quo ipsa prædestinatio salvandorum pro-
pria, de qua disputatur, & liber Concordia statuit, verè & proprie uni-
versalis est, erga omnes & singulos homines, iudeos & gentes, qui fili-
um Dei Servatorem mundi fide agnoscunt, & in hac usq; ad finem vitæ
perseverant: Sicut & justitia Dei per fidem Iesu Christi universa-
lis est in omnes & super omnes eos, qui credunt. Non enim est di-
stinctio Rom. 3. Qui verò non credunt, super eos manet iudicium
& ira Dei in æternum. Ideoque nec electi dicuntur sed reprobi.*
Hanc declarationem planam & perspicuam vestræ expectationi
satisfacturam esse speramus, & Deum toto pectore oramus, ut nos
doceat & regat Spiritu suo, ac det nobis τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις
secundum Iesum Christum, cui vos & ministerium vestrum com-
mendamus. Bene & feliciter valete. Datae Rostochij die 4. Julij
anno Christi 1595.

Vestri in Domino,

Decanus, Senior, & professores Collegij
Theologici in Academia Rostochientis.

AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







342

27

P I S T O L A
V L T A T I S
G I C Æ I N A C A
ensi ad Theologos VVitteber-
ij Anno 1595. scripta, de
O N E seu P R A E D E S T I -
I O N E hominum ad
vitam eternam.

ò ad retundendam
E L I S H V B E R I de
u Rostochiensis jactan-
tiam, publicata
per
n Facultatem in Academia
Vittebergensi,
nissa ejusdem Præfatione.



VITTEBERGAE,
M. Georgij Mulleri.
cl. l. xcv.